DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
QUAEDAM
DE
CONCLAVIUM ARTE TEPEFACTORUM USU
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MARCUS MOORE,

Hibernus,

CHIRURGUS.

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

——Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum. HOR. Epist. vi

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.

ROBERTO SAUNDERSON,

ARMIGERO,

DE DRUMKEEN,

APUD CAVAN,

PROPTER BENEFICIA

IN SUOS COLLATA,

HOCCE, QUALECUNQUE, OPUSCULUM,

GRATI ANIMI

EXIGUUM TESTIMONIUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. DQUE

AUCTOR.

NECNON

FRATRI SUO DILECTISSIMO,

JACOBO MOORE,

AMICITIAE VERE FRATERNAE,

QUA

EUM SEMPER PROSECUTUS EST,

HAUD IMMEMOR:

QUOQUE

FRATRI SUO CARISSIMO,

ELLIOT MOORE,

APUD INSULAM SANTAE CRUCIS,

OB ABSENTIAM

ET

PROPTER PUERITIAM SIMUL ACTAM

MULTO CARIORI;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EA, QUA DECET, PIETATE,

CONSECRAT

MARCUS MOORE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

CONCLAVIUM ARTE TEPEFACTORUM USU

COMPLECTENS.

PRAEFANDA.

Nemo medicorum ignorat falsas opiniones arti medicae nusquam et nunquam non graviter obnixas esse: rationes splendidas, sed inanes, haud raro vel acerrimo ingenio praeditos optima et utilissima artis praecepta dedocuisse; quippe quae, simplicia et nuda istis, ornatioribus equidem, at fictis, posthabuerint. Easdem vero vix citra immanem perniciem medicos irretire posse, valde lugendum est; neque inficias est eundum multa valetudinis adversae genera, per se profecto generi,

neri, humano satis exitiosa, stragem eo crebriorem et magis luctuosam intulisse, quod leges et praesidia quaedam evidentia, praeclara et notissima novi avidos, aut vana disciplina rationali captos, latuerint.

Ex omnibus vero morbis, quorum curationem ineptae rationes vitiaverint, haud ulli memoratu digniores existunt, quam isti luctuosissimi qui in respirandi instrumenta incumbunt. Satis jam demum innotuit horum principem, *phthisin pulmonalem* partem quartam Britannorum, qui quotannis emoriuntur, abripere.

Alia quoque pulmonis mala, praesertim Strumae adjuncta terribili esse nostratibus exitio, usu quotidiano docemur. Quod quum ita se habeat, inquisitu planè dignissimum est, quanquam haec morborum genera persaepe nulli sint arti medicabilia, ullâne ope arceantur; certeve pede lentiori in fatum abeant: aliquidve medici, inter ea curanda, hucusque erraverint. Ex omnibus remediis, quae ingenium humanum excogitaverit, ad eadem, praecipueque *phthisin*, debellanda aut praecavenda, nullum omnino, uti conjicio, tepori idoneo

neo arte adhibito antecellere videtur. Hunc ideo, argumento, de quo disputem, prae aliis selegi, quod mihimet contigit eum fructu summo experiri: quodque solummodo opus est, ut quaedam falsae et perniciosae opiniones deleantur, quo remedium propositum ubique Britanniarum ministretur. Non sane profiteor aliquid me novi huc attinentis prolaturum: BEDDOESIUS enim, BUXTONUS, PEARSONUS, aliique viri eximii complures, Phthisi Pulmonali aliisque Pulmonis malis implicitos multis abhinc annis utiliter Conclavibus Arte Tepefactis continere soliti sunt: notissimae tamen rei, modo ad generis humani salutem spectet, medicos admonere, vix minoris interest, quam nova, et prius inaudita exquirere. Eoque potius tepori insistendum existimo, ad morbos jam dictos arcendos, aut tollendos, quod usu tandem didicimus coelum mutare perraro esse Britannos iisdem expedire: imo vero plerasque earum regionum, quas *phthisi* perituri, spe inani peti, petere consuêrunt, aliquando eventum lethalem potius festinasse, quam opem tulisse. Insulae mari Mediterraneo circumfusae et loca hisce vicina, istis aegris exitiosa nuper comperta sunt. Ulyssippo etiam saepe iis nocet; quippe civitati accidit

hyems

hyems pruinis atrocissima, aestas ardentissima, cui insuper aedificia focis, caminis, aliisque commodis Britanno sueto penitus necessariis vacant. Iisdem de causis, aliisque similibus, Gallia meridionalis, Italia, omnesque denuo Europae Australis partes longe minus opinione nostratibus aegris succurrunt.

Quod cum jam satis notum sit, in aprico est id auxilium domi tuto quaerendum esse, quod gentes exterae, haud citra grave periculum et incommodum, praebent.

Ita in animo est hoc argumentum prosequi et distribuere, ut imprimis disseratur.

I. De caloris corpori humano adhibiti actione.

II. De frigoris illati actione.

III. De utriusque, vicibus nimirum alternis, admoti effectibus.

IV. De conclavia tepefaciendi ratione.

V. De morbis in quos hoc remedium conveniat.

Postremò haecce praefatus ad opus exequendum transibo.

I. DE CALORIS ACTIONE

Res est medicis notissima hominis spirantis et valetudinem integri temperiem, terrarum pene ubique, esse qualem insignit gradus XCVI aut XCVIII instrumenti FARENHEITANI; si profecto extremas corporis partes excipias, quae sanissimo aliquanto minus calere possunt. Aer circumfluus in Britanniis, nisi inter pruinas hyemales, aut ardores aestivos quaesitissimos, argentum vivum ejusdem instrumenti proprium, ad gradum circiter L, attollere solet. Britannus igitur ejus temperiei suetus, aequo eam fert animo, et naturae convenire existimat. Quod si coelum eò mutetur, ut argentum vivum ad infra illum gradum feratur, id frigidum judicat, quodque coelum efficit, ut ad gradum LXV ascendat, tepere sentit. Si denuo

denuo aer eò incalescat, ut gradus LXXX, XC, imo vero C altiorve, notetur, sensus caloris nascitur.

Tepor, vel aurae circumfluae status, quem gradus circiter LXV testatur, hominem jucunditate quâdam mulcet, cor arterias et venas leniter ciet: facit ut secernenda melius secernantur, et excernenda excernantur: omnibusque demum corporis actionibus et miti incitamento fit salutari. Nec minus belluas quam hominem suscitat, et ne multa, omnia quae vivunt, sive animantia, sive terrâ nata, tepore eriguntur et mulcentur.

Calor hominem atque alia animalia duplici actione apud medicos impellere fertur; ea nempe, quali brutam tellurem afficit: et alterâ propriâ, quam vitae principium moderatur. Quod ad illam, calor partes solidas et liquidas, hasce praesertim tumefacere sive ampliare habetur; unde gignatur *Plethora ad molem.* Majoris autem interesse argumenti propositi duco, ut alteram caloris actionem prosequar. Genus igitur nervosum fibrasque motrices insigniter concitat. Cor arteriaeque alicui calefacto validius, citiusque illico micant. Hinc cerebri, utpote rivo celeriori et majori impulsi,

pulsi, et animi vires intenduntur: hinc porro acuitur facultas sentiendi; humores secernendi et excernendi liberius profluunt; vitaeque denique flamma splendidior elucet.

Quod si homo diu et praeter modum calefiat, si coelo objiciatur tam ardenti ut argentum vivum ad gradum XC, XCVI, altioremve attollat, sequitur ut tanto irritamento vires plus aequo incitatae demum labefiant. Cujus rei exemplo sint quaedam ex gentibus Americanis et Asiaticis, quae juxta circulum aequinoctialem habitant. Uterque sexus nimirum, id quod praesertim de Europaeis eò advectis praedicandum, maturius increscit, viget, pubescit, senescit, moritur, quam in terris polo alterutri minus distantibus. Neque non eidem legi terrâ nata omnia serviunt; quercus Britannica vix annis centenis elapsis maturatur: quae autem arva torrida Americana exornat, vixdum annum quadragesimum transgressa, succiditur ad omnes usus aptissima.

Nec ratio obscura, quâ ardores ista emoliuntur: faciunt ut secernenda et excernanda ubertim profundantur, viresque cerebri et fibrarum motricium

ciendo

ciendo exhauriunt: quo fit ut corpus exarefiat, labeat, et labefactetur.

Quâ quantâque facultate, corpus humanum quodammodo ardori extrinseco obnitatur, paulo infra ostendere nitar.



II. DE FRIGORIS ACTIONE.

Id frigidum, ut supra explicui nominare solemus; quod argentum vivum instrumento Farenheitano inclusum ad gradum xl, xxxii, aut infra demittit.

Uti calor, ita frigus quoque actione duplici animantia impellit: quali scilicet res inertes afficit, et alterâ cui vitae principium imperat.

Ut calor igitur ampliare, sic frigus *solidum simplex* contrahere fertur: unde quâdam ex parte nascitur vis, qua pollet, sanguinis cursum, venâ dirupta, cohibendi.

Multo

Multo vero majoris refert, magisque ad propositum spectat, frigus potestatem sedatricem, contemplari. Cor scilicet, omnesque fibras motrices, et genus nervosum, insigniter sedat: penitusque nego frigus *solidum vivum* unquam aut aliquid contrahere, id est stimulare.

Evidenti documento hujus rei sint effectus: perfrigenti igitur cuivis, cor arteriaeque tardius et languidius saliunt: sanguis non artus extremos petit, qui ideo frigent; hinc humores secernendi et excernendi aut secerni et excerni desinunt, aut certè parcè effluunt; unde, causis aliis mox referendis operam conferentibus, accenduntur viscerum inflammationes aliique morbi acuti. Patet igitur imprimis frigus modicum, siquidem effundenda supprimit, hominem quodammodo implere et saginare posse: nec aliunde gignitur hic effectus, quem nonnulli perperam ad vim incitatricem referunt: deinde, constat etiam frigus intentius imbecillum, insuetumque eò sedare posse, ut vitae flamma extinguatur. Hanc partem argumenti fusius prosequi alienum duco: ejusdem enim generis et satis in promptu sunt ea documenta, quae frigoris, cujus antea dicta, quae caloris actionem

 docent

docent et illustrant. Quomodo uti calori, sic quoque frigori quadam ex parte corpus humanum obstet, jam propositurus sum.

III. DE UTRIUSQUE, NIMIRUM CALORIS ET FRIGORIS VICISSIM ILLATI ACTIONE.

Nullo de argumento quidam medici magis hullucinati fuerunt, quam de impulsu, quo calor et frigus, subito et vicissim oblata, hominem afficiunt. Quod ut clarius perspiceremus, imprimis notare oportet, corpora humana perinsigni vi pollere frigori aut calori extrinseco renitendi. Quam plurimis hoc rebus et experimentis docemur: homo terrarum orbi praepositus, ubicunque habitet, polo alterutri an circulo aequinoctiali parum distet, eò ferè semper tepet, ut ejus temperies modo integrâ valetudine fruatur, gradu circiter xcvi designetur instrumenti Fahrenheitani. Res est porro medicis notissima,* Carolum

Blagdenum,

* *Vide* Vol. lxv, p. 3 et 484, Phil. Trans.

Blagdenum, Equitem, et Fordycium percelebrem, vestibus expeditos impune sese prius conclavi inclusisse, cujus aër argentum vivum ad gradum ccxl, imo vero interdum cclx, evexerit, dein ex improviso perflatum frigidum sub dio petiisse: utrique demum cutis summae temperiem vix inter hoc fuisse mutatam. Eodem spectat Russos, aliosque populos septentrionales, quotidie prius *vapo-rario* aut calidario, postea derepentè *frigidario* gelidissimo, ipsive nivi citra perniciem, summoque fructu se committere solitos esse. Quibus causis, aut actionibus corporis interioribus, haec facultas contineatur, exponere vix ad rem propositam pertinet: hic solummodo obiter memorabo halitum, quem summa cutis spirat, ardoribus auctum, frigore suppressum, aëra circumfluum tepore extenuatum, algore densatum, operam simul conferente vitae principio, hancce miram facultatem constituere.

Proximum est, ut frigoris calorem excipientis, dein caloris frigus actionem inquiramus.

Satis patet ex jam dictis, temperiem subito mutatam, multo minus quam vulgus opinatur, nocere.

Quum

Quum porro edocuimus calorem vim esse stimulatricem, frigus contra sedatricem, inde judicare oportet, aliquem eò melius huic objectum obstare idemque sustinere posse, quò diligentius se prius tepefecerit, et foverit; quo etiam sit vegetior et validior. Neque minus usu quam ratione hoc docemur. Russi enim, qui in conclavibus magis meliusque calefactis habitare, et vestibus frigori arcendo habilioribus uti consuerunt, quam quae apud nostrates usitata sunt, multo rarius pulmonis * malis aegrotant.

Jennerus et Hunterus, viri praeclari, experimento didicerunt, omne animal eò pejus frigus oblatum sustinere, citiusque sub eo perire, quò plus jam fuerit inediâ, senio aliisque noxis sedatricibus labefactatum et frigefactum. Quis ignorat, quod simili ratione nititur, senio confectos, languidos penèque nudos, prae juventa et robore florentibus, probèque tepefactis, inter hyemis crudeles pruinas, absumi? Aut artifices, quorum est metalla igne fundere, saccharum expurgare, vel *amylum*, chartam vitrumve conficere, quique omnes quotidie

vicissim

* Dr. Southey's Treatise on Consumption, p. 94.

vicissim summos ardores sustinent, et perflatum sub dio subeunt, non admodum esse ad morbos pulmonis proclives? Optimèque SOUTHEUS notavit, si, ex duobus iter nocturnum hyeme atroci facturis, altèr prius foco calefactus, laneoque indusio velatus, alter frigore horrens et tremulus currum ingreditur, huic totâ nocte membra omnia frigefactum iri, illum contra pruinas vix esse sensurum.

Quorsum vero haec, aliquis interrogabit? Quo clarè percipiatur, non solum frigus calorem modicum tutò sequi; verum etiam facilius et melius antea tepefacto, quam ab aliquo jam inhorrescente perferri: eò quod calor, viribus cerebri et cordis ciendis, efficit, ut frigus minus sedare possit; haud secus atque aura pestilens *Typhi* genitrix, et noxa procul dubio sedatrix, imbecillos prae fortibus laedit. Neque non insani algores benè sustinent, quibus integri perirent objecti, viribus nimirum animi et corporis praeter naturam concitatis.

Inanem igitur dedocendi sunt opinionem, qui sentiunt, conclavibus tepefactis contineri solitos

non

non citra periculum immane caelo se subinde committere posse: contrarium enim ratio et usus arguunt. Si autem homo valde incalescens et sudore perfusus derepentè Jovi pruinoso, frigorive aliunde genito, pateat, in praecipiti versatur. Imprimis enim ardoribus nimiis ultra debitum incitatus labitur et infirmatur; (id quod emoliri consuerunt omnigena incitamenta gravia aut diutina) ideoque sedanti cuivis obstandi fit impotens: dein, sudor aliaque excernenda aestu immodico praeter modum eliciuntur; unde corpus extenuatur et languescit: frigus inter haec subito allatum vasa extima coarctat, humores antea effusos reprimit, et in partes interiores, renitendo, impares, vertit: quod sequuntur viscerum inflammationes, et alii morbi acuti, pessima malorum caterva. ALEXANDER, terrarum orbis victor, exemplo hujus rei perlucido est: quem QUINTUS CURTIUS refert, postquam itinere longo jam fessus et sudore madidus, in flumen Cydnum lotum se repentè descenderit, protinus horrore totum riguisse, palluisseque, pene exanimem.

Aliud est igitur, frigus calorem modicum sequi; aliud,

aliud, immodicum: quo discrimine non ritè percepto, plurimi errârunt.

Quid faciat aestus frigori subjectus, ex suprà comprehensis satis liquebit.

Jam memoravi frigus, etsi sedat, excernendis cohibendis, implere. Qui igitur jam friget, leniter et pedetentim calefactus, plurimum fovetur, melius secernit et excernit, nec aliquid exinde noxae sibi percipere solet. Quem autem frigore rigentem ardores quaesitissimi ex improviso premunt, is in partium interiorum aut artuum inflammationes haud raro incidit, cujus exitus rationem jam dicta clare patefaciunt.

Uti paucis igitur absolvam, falluntur, qui aegris in conclavibus focillatis habitandum esse negant, ne irritabiles inde facti temperiem subinde mutari non ferant, nec impune unquam caelo objiciantur: frigus enim et aestus se invicem ob causas relatas, longè tutius vulgi opinione excipiunt; vix nisi intentiora, et passu subito vicissim allata corpus humanum laesura.

IV. DE CONCLAVIA TEPEFACIENDI RATIONE.

Hucusque absoluto proposito argumento, proximum est, ut inquiratur, quomodo et quousque conclavia tepefieri oporteat; quantaque et qualia esse debeant, quo aegri exinde omnia commoda, omnesque utilitates, citra pericula et incommoda, terris meridionalibus petitis enata, sibi adsciscant.

Quanquam Beddoesius, Pearsonus, aliique clari viri hoc remedio usi sunt, Buxtoni tamen scriptis, prae aliis, innixus sum, fonte, unde singula ad id pertinentia deducerem. Hic medicus spectatissimus anno mdcccx, hoc auxilium in phthisin pulmonalem, et alia pulmonis mala experiri coepit: aegros conclavi contineri jussit, eo focillato, ut gradus lxv instrumento Fahrenheitano ibi posito indicetur. Cum vero tandem suspicatus fuerit perpaucos eorum sua sponte huic legi obsecutos esse, ipse proprio sumptu aedes ad id idoneas et satis amplas praeparavit, clibanoque Germanico vocato, usque ad gradum lxv, continenter tepefieri curavit: certève effecit,

ut

ut quam minime argentum vivum ultra citrave eum gradum vagetur.

De temperie aptâ vix medici inter se dissentire possunt, nec de eâ sermonem producere opus est. Quo tamen modo aedes optime focillentur, haeque spatiosae, an exiguae esse debeant, paucis exponere haud alienum judico.

* Triplici ratione conclavia calefieri possunt: nimirum.

I. Foco patulo Britannico.

II. Clibano Germanico occluso.

III. Aëre fervefacto per fistulas trajecto.

Huc accedit, quod focus patens et clibanus Germanicus interdum in iisdem aedibus simul adhibentur: de quorum singulis nunc dicendum.

Cuivis rem vel leviter contemplanti videbitur,

* Vide Buxton on Regulated Temperature.

focum patentem e carbone fossili inflammato confectum, qualique nostrates ubique Britanniarum utuntur, nequaquam convenire. Quomodocunque enim caminus, fumique tubus extruantur, non fieri poterit, ut omnes aedium partes aequaliter tepeant: perflatus enim, qui conclave assiduè ineat, ad ignem alendum, necesse est, quâ via patescat ei aditus, efficiet, ut quo plus aliquis foco distet eo minus calefiat. Praeter haec, pars dimidia corporis igni objecta, ejus radios accipit, et exardet, altera non raro perfrigente. Nec dubitari potest, quin cineres leviores, qui, usto carbone, supersunt, et per aëra volitant, cum anima in fistulas spiritales sumpti, imbecillos pulmones vehementer exasperent. Flammâ denique coruscâ continenter oblatâ, oculi debiles, quales strumâ inquinatis ferè contingunt, haud parum offenduntur. Eò plus focorum incommodis insistendum duxi, quod Britanni universi eorum ope frigus arcere solent; quodque non ignoro quanto imperio consuetudo mentes humanas premat, et quot quantosque errores et ineptias celet.

Intellectu satis facile est clibanum Germanicum foco patulo longe antecellere: neque enim [illegible] spiramenta

spiramenta cinere circumvolante, nec rutilo splendore oculi irritantur. Totum, quoque, conclave ubique pone aequaliter focillatur.

Quum autem clibanus, quem prosequor, igne extrinsecùs fervefieri consuevit, auras conclavi inclusas vix ullo motu intestino exagitatum iri, perflatumque vel lenem defuturum, manifestum est; id quod insuetis molestiam afferre potest. Aedes tamen spatiosae, templa, et valetudnaria sic benè tepidantur.

Inducor, quì conjicerem optimè aëre tepente per fistulas idoneas trajecto conclavia omnigena calefieri. Hic modus enim vitiis supra relatis prorsùs caret; bonaque omnia exoptanda, de quibus dixi, sibi praefert. Dominus STRUTTIUS Derbiensis, ni fallor, primus omnium eum adhibuit; quo aedes amplae, opificum officina, satis tepeant: nimirùm, clibanum extruxit occlusum, unde fistulae metallicae profectae aëra calentem * trajicerent, et per conclavia funderent. Hujuscemodi artificio, ni fallor, templa Edinensia hyeme te-pore

* Vide Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. iv, p. 17.

pore leni et aequali perfunduntur. Optandum est sane, ut omnia valetudinaria, templa, et carceres hac ratione habitabilia fiant, pruinis hybernis saevientibus: nec dubito quin exinde multi, ad mala pulmonis subeunda propensi, secundâ valetudine totam hyemem fruerentur; imo vero jam aegri revalescerent.

Cum demum objici potest hunc tepefaciendi modum tantos sumptus postulare, ut non nisi diviti aedes proprias ita focillare liceat, hinc constat medicorum esse conclavia spatiosa in hunc finem praeparare, et fistulis metallicis aliisque necessariis instruere: quo aegri tutò et jucundè ibi hyement. Non minimi intererit, ut hae aedes quam amplissimae sint; quo scilicet aegri, ne desint vires, quotidie subtectis ambulent.

Quod ad quartam rationem teporis idonei aedibus conciliandi, Buxtonus vir clarissimus eam permagni facere videtur; nimirum, clibanum igne patescente instructum, quali nostrates officinas tepidare solent, optime convenire existimat: quippe quem contendit secum afferre foci

Britannici

Britannici et clibani Germanici proprias utilitates et dotes; illius instar scilicet, perflatum gignere, hujus porro instar, aëra, qui ejus latera ampla et ferrea assidue circumvolat quam celerrime fervefacere. Huc accedit, hoc genus clibani vili venire. Confiteor tamen mihimet fistulas metallicas, per quas ferantur aurae tepidatae, anteponendas videri. Vix opus est ut adjiciam cavendum esse, quacunque ratione tepor cieatur, ne instrumentum FAHRENHEITANUM unquam, si fieri possit, ultra aut citra gradum LXV, moveatur.

DE MORBORUM GENERIBUS, QUAE REMEDIUM PROPOSITUM REQUIRANT.

SEQUITUR, ut paucis explicem ea valetudinis adversae genera, in quae tepor valuisse, aut profuturus esse videatur. Inter haec praepollent Phthisis Pulmonalis *tuberculosa* et Struma, qualemcunque sibi speciem induat: Catarrhus acutus aut vetustior: Asthma, Pneumonia, Pertussis.

Quibus

Quibus fortasse accedunt quaedam cordis malorum et Diabetes Mellitus.

PHTHISIS TUBERCULOSA.

Nemo rei medicae doctus nescit, noxas debilitatrices strumam propensis inferre, illatam exasperare: omnia contra, quae erigant et roborent, venturae saepe occurrere, firmatam debellare. Neque latet ratio: multiplex enim hic morbus veneno proprio generi lymphatico infixo initio contineri videtur: quod aegre tardeque per glandes istas implicitis vasis instructas transit; ideoque easdem inflammatione sui simili plectit: et tandem ad venas delatum, varia mala strumosa, aliis alia, parit, auxiliantibus causis debilitatricibus, quas eò excitantes sive evidentes nominamus. Ex hisce malis nullum sine dubio dirius est, quam phthisis tuberculosa. Quantum et quousque tepor in eam valere possit, praedicta edocent: prae ejus vi nimirum incitatrice, aut virus propositum foris ejicit; aut certe a visceribus arcet; simulque robur conciliat, quo impune perferatur, praeter alias ejus effectus supra expositos. Manifestum est igitur, me non profiteri, hunc morbum jam inveteratum, pulmone nempe exulcerato,

tepori,

tepori cessurum; at instantem vel ineuntem frequenter inde praecaveri, tardari, leniri aut tolli. Buxtonus eximius usu fretus idem declarat; nec dubitat asserere, hoc remedium simplex, malis jam ineuntibus, fideliter admotum quosdam hoc malo aegrorum ad salutem reduxisse; aliis signa molesta, tussim praecipue et dolorem, consopivisse, vitaeque spatium produxisse. Idem auctor adjicit tussim, malis vel provectis exinde mitescere; monetque aegrum, ubi huc sit ventum, aestu quaesitiori non esse torrendum, ne sudore nocturno increscente quam celerrime emacrescat et absumatur. Nunc igitur praesertim, summi interest, ut infelix nunquam se caelo committeret, at continenter sub tectis habitet: denique, ut gradus circiter LXII noctesque atque dies conclavis, ubi cubat, temperiem insigniat. Etiamsi caetera remedia meminisse ad argumentum non pertinet, neque profecto limitibus angustis, quibus contineor, convenit, haud tamen alienum videtur, ut notem medici esse alia auxilia experiri, quae eodem, quo tepor, spectent, id est, aegrum panno laneo vestire, cibo ex mediâ materiâ alere, qualis roboret nec simul nimis incitet; et quae sunt hujusmodi.

E supra

E supra memoratis clare docemur, cur phthisis pulmonalis tanto rarior Turcis, aliisque gentibus, quae terras sole ardentiori exustas accolunt, quam nostratibus accidat. Caeli enim natura idem, ac nostrum remedium, praestat; nec simul ignoro indolem *strumosam* multo rarius incolas harum regionum, quam Britannos, inquinare.

Conclavia denique probè tepidata in phthisin admodum proficere, ea quae de Russis memoravi, lucidè testantur; qui eâdem non crebro vexantur.

Quod ad *Strumam*, qualemcunque formam sibi induat, manifestum est e supra comprehensis teporem, aliis accedentibus quae vires erigant, nunquam non eâ implicitis opitulatum iri.

CATARRHUS.

Catarrhus vetustior, quo nullus fere morbus crebrior apud Britannos grassatur, huicce curationi hyeme saepe cessit. Signa semper leniuntur; homo caelo tolerando habilior fit, si quando aedibus exire opus sit: et phthisis aliaque mala lethalia, quae catarrhum excipere solent, aliis alia, pro corporis indole, praecaventur.

ASTHMA.

Tepidatum aëra omnibus asthmate vexatis auxiliatum iri, minime profiteor. Hujus enim mali proprium est, ut noxae ejus excitantes lege certa quodammodo vacent, et consuetudine multum regantur. Non tamen dubito, quin hoc remedium compluries accessiones lenire aut prohibere possit.

PNEUMONIA.

Pleraque eorum, quae jam retuli, edocent, pneumoniae obviam iri posse, aedibus rite tepefactis totam hyemem adhibitis, vestibusque laneis simul non praetermissis.

PERTUSSIS.

Omnes inter medicos convenit Pertussim, nulli arti medicabilem esse, nisi caeli ratio idonea accedat. Hinc inducor qui credam signa ejus molestiora tepori cedere posse; eoque eventus funestos praecaveri. Ne multa porro, veri est simile mala pulmonis omnia, et quosdam cordis morbos rariorem stragem generi humano illatura, simul atque conclavia rite tepefacta ubique Britanniarum usitata facta fuerint.

DIABETES MELLITUS.

Nescio an medici hoc remedium in Diabetem Mellitum hucusque experti fuerint. Eò conclavia tepidata profectura conjicio, quod hic morbus praesertim gentes Septentrionales male habet; quod frigore semper fovetur: quod secernenda et excernenda, maximeque halitus per cutem, secerni et excerni pene desinunt; tepidariumque saepe adjuvat; denique, quod hic morbus non raro in phthisin pulmonalem abit.

Hydropem non proposui, inter morbos ita curandos. Vix tamen dubitandum est, ejus propriis signis in animo habitis, quin tepor ita, ut praecepi admotus, eum minuere, et aliquando instanti occurrere possit. Dirum *hydrothoracem* procul dubio persaepe praecavet, acutos istos pulmonis morbos, qui in id genus hydropis desinunt, arcendo vel summovendo.

Permulta alia summi momenti, quae ad hoc grave argumentum spectant, me non memorasse confiteor. Illud profecto mihi potissimum in animo fuit, ut peritiorum animos ad remedium, quod nostratibus salutem vix aliunde deducendam pollicetur, advertam.

FINIS.